



Disputatio medica inauguralis de tenesmo

<https://hdl.handle.net/1874/345159>

30.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
TENESMO,
QUAM
FAVENTE MEDICORUM OMNIUM MEDICO
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
JACOBI VALLAN,
M. D. Praxeos & Institut. Med. Professoris Ordinarii,
NEC NON
*Amplissimi Senatus Academicī Consensu, Nobilissimaque
Facultatis MEDICÆ Decreto,*
PROGRADU DOCTORATUS
Summisque in MEDICINA Honoribus, Insignibus, & omnibus
Prærogativis, ritè, legitimè, ac MORE MAJORUM consequendis,
Placide omnium censura, & publice disquisitioni subiecta
DANIEL HAVART, ULTRAJECTINUS.

Ad diem XXI. SEPTEMB. horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,
Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academij
Typographi, clc lcc xcii.

Celeberrimis, Doctissimis VIRIS,

D. JACOBO VALLAN,

Med. Doctori, Praxeos, & Medicinæ institutio-
num, in celeberrimâ hâc Academiâ antecessori
Ordinario, h. t. Rectori Magnifico; practico præ-
clarissimo, prudentissimo, exercitatisimo, studio-
rum meorum ductori fidelissimo, candidissimo,

D. JOANNI MUNNICKS,

M. D. Reipublicæ Ultraject. poliatro; Medicinæ,
Anatomæ, ac Botanices in Academiâ Patriâ Pro-
fessori Ordinario; anatomico nemini secundo,
practico felicissimo, doctissimo, studiorum meo-
rum præceptorî, & consummatori, promotori

ambobus,
dum Spiritu
hos re-
get artus,
dum mem-
or ipse
mei, omni
amore, &
benevo-
lentiâ pro-
sequendis.

D. PETRO KETTINGH,

Amplissimorum, & Consultissimorum D. D. Scabinorum,
qui in Batavia, Societati Indiæ Orientalis subjectâ,
resident, à secretis vigilantissimo, fidelissimo, experien-
tissimo, amico ab incunabulis cognito, dum hâc luce fruar,
omni amoris specie honorando.

U T E T

Doctissimo expertissimo VIRO-JUVENI,

D. GERARDO BENOORDEN,

Med. Doctori apud Amstelodamenses solertissimo, practi-
co felicissimo, quondam in Indiâ Orientali, in regione,
quæ Cormandel dicitur, Contubernali fidelissimo, hic, &
illic amico intimè, & domesticè cognito, non fucatae ami-
citiae testimonio prosequendo, ac indissolubili amoris
nexu, ad aras usque devincto.

*Hanc studiorum meorum messem, in amoris &
gratiarum testimonium, cum me ipso*

D. D. D.

DANIEL HAVART.

Auctor.

L E C T U R O . S.

Homo (a) muliere natus brevis ætate, & satur com-
motione est : nam ut *Psaltes* ait. (b) In diebus ipsis (a) Job.
annorum nostrorum sunt septuageni anni, aut, si xiv: v.
fimus valentissimi, octogeni anni, etiam excellentissi-
mum eorum laboriosum est & molestum, quo fe-
stine exciso, avolamus : sic ut bene dictum sit. Homo bulla, ni-
bil aliud est homo, quam

Fumus, Bulla, Vitrum, Glacies, Flos, Fabula, Fenum.

quis tam sagax, & perspicax est, ut omnia morborum genera, cum
quibus misera gens mortalium conflictari debet, enumerare, multo
minus curare queat, miseri nascimur, miseriores vivimus, & sa-
pe miserrimi morimur.

Littora (c) quot conchas, quot amæna rosaria flores

(c) Ovid.

trist. lib. v.

Eleg. 2.

ver. 23.

24. 25. 26.

Quotque soporiferum grana papaver habet

Silva feras quot alit, quot piscibus unda natatur;

Quot tenerum pennis aëra pulsat avis

tot adversis premitur homo, in cuius auxilium Altissimus creavit me-
dicinam, & sapiens èa uitur, ut quomodo possit miseris levamen
prabeat: in numerum illorum redigi semper in animo fuit, & jam
post exploratos progressus meos in medicinā, à nobilissimā facultate
medicā accepi ex more, quaternionem titulorum ut unum eligerem,
non diu dubius, & anceps hest, illico enim Tenesum elegi,
hac potissimum de causa, quia per sesqui lustrum in Indiā Orienta-
li, crudeliter, & fere incredibili modo ab illo vexatus sum, donec
tandem cum bono Deo, ope cuiusdam matronae, pie memoriae, pri-
stina sanitati sum restitutus, jam non ignarus bujus mali

(d) Miseris succurrere disco.

(d) Virg.

hunc ergo affectum pro ingenii tenuitate, & modulo explicare ani-
mus est : Q.F. F.Q.S.

aneid. lib.

i. ver. 360.

Longe abest à me mentis arrogantia, qui non ad eloquentia gradum
proiectus, simplicissimo stylo theses meas adumbrabo, nam stylum
ingeniosum, vel questiones Logicas, aut Philosophicas à me ex-
pectare frustaneum esset. Nam enim annis plusquam viginti quin-
que præterlapsis, quod trivialibus scholis, & Academix vale dixe-
rim, & in Indiā Orientali rariſime Romano idiomate uſus fue-
riu, ſire cum Ovidio cogor dicere

(e) Ovid.

trist. lib. v.

Eleg. 7.

ver. 57. 58.

Et (e) pudet & fateor jam defuetudine longà

Vix subeunt ipsi verba latina mihi.

Hicce præmonitiſ, recto gr adū ad theſes progrediā. Vale.

D I S P U T A T I O M E D I C A
I N A U G U R A L I S.
D E
T E N E S M O.
T H E S I S I.



E *Tenesmo* scripturus vocis etymologiâ non longe morabor: Græc enim sonat τενεσμός, & significat tensionem, cum in eo assidua, & molestia tensio in podice sentiatur, & percipiatur.

I. I.

Variæ sunt apud varios authores ejus definitio-
nes: apud Fernelium *Tenesmus* est recti intestini
ulcus. Dodonæus cap. 49. Et Forestus observ.
40. notant proprium *Tenesmum* dici, ubi ulcus est in
intestino recto, siveque ab intestini recti inflammatione, duris excrementis ibi
hærenibus. Platerus lib. 3. de vitiis pag. mihi 711. dicit, quando subcruen-
ta, mucosa vel purulenta materia, in quâ crux gutta interdum quoque
apparet, per alvum egeritur, tunc illa dejectio vocatur *Tenesmus*, seu *Ten-
esmos*, sed omissis aliis, mihi præ cæteris arridet hæc definitio, quod *Tenesmus*
sit continuus, & fere inanis desidendi ac dejiciendi conatus, seu stimu-
lus, in quo fere nihil præter mucosum quid, & subcruentum, aut puru-
lentum excernitur.

I. I. I.

Itaque locus affectus hujus morbi, est intestinum rectum, crassorum
ultimum, nam quando tenuia intestina sola separatim, aut hæc vel illa
solitarie, vel tenuia, & crassa utraque conjunctim exulcerata sunt, tum
affectus dysenteria nominatur.

I. V.

Causas divido in internas, & externas. Inter causas internas nume-
rantur nimius influxus Spirituum animalium in intestinum rectum, quo
intestinum illud ad excretionem solito molestiorem irritatur, & stimu-
latur. Item humor pituitosus, viscidus, simulque acer, ita ut de
sale, & de acido participet, qui humor facile intestini recti tunicis ad
hærere, atque adeo paulatim ulcus excitare potest, & suâ irritatione,
& spi-

& spiculis continuis affluxum spirituum, & motum intestinorum peristalticum saepe propter continuitatem accelerare, & sphincterem ita afficere, ut ipsum anum reseret, & ad molestam excretionem stimulet. Sylv. prax. med. lib. 1. cap. 13. par. 26. de causis hujus morbi agens, dicit, *Tenesmus mucosâ purulentiâque constans dejessione, humorem viscidum pituitosum simulque acrem acidum circâ podicem adherentem, atque ibidem ulcus molestum rodendo excitantem, agnoscit causam.* Calculus quoque vesicæ magnus, ejus colli ulcus, tumor vicinarum partium, præsertim uteri, in gravidis, postremis mensibus, ascarides ab authoribus pro causis internis habentur.

V.

Quod etiam glandulæ intestinales causa esse possint, luce clarius pater, sic enim Joannes Conradus Peijerus in *exerc. suâ, anat. med. de gland. intest.* pag. mibi 84. scribit. *Certe mucus ille viscidus, tenax, sub cruentus, & aliquando purulentus in Tenesmo, haud aliunde quam è glandulis leniicularibus recti intestini proficiunt videtur, quatenus eadem à sero acri, in ipsas translato, aut ibidem producio, primo in tumorem attolluntur, mox vero corruptæ in saniem abeunt, quæ denudatas intestini fibras assidue rodendo, atque Spiritus è nervis ad annum copiose proritando, crebrum pruriginosumque dejiciendi conatum efficit: unde saniei istius momentum sauguinis, (e venulis, & arteriolis arrovis elaps) striis cruentatum, unâ cum muco intestinali, è reliquis glandulis integris suppeditato excernitur.*

V I.

Jam tempus est, ut ab internis, ad externas causas transeamus, quæ etiam varix ab authoribus recensentur. Inter illas sunt injecti clysteres nimis acres: nimia vis suppositorii, in podicem intrusi; canalis Syringæ nimium asper, vel violenter intrusus; intemperies frigida ab infessione super lapide frigido; aut longiori in aquâ morâ; atque frigore pedum; sed hæc potius occasionalis causa dici possit, quia per se Tenesmum non inducit.

V I I.

Ad signa diagnostica quod attinet, hoc malum facile cognoscitur, si solummodo definitionem spectemus, assiduus enim adest dejiciendi canatus, in quo saepe nihil ejicitur, nisi aliquid purulentum & subcruentum, cum dolore, modo majore, modo minore, qui rodens, & lancinans esse solet, saepe etiam ardens, & mordicans cum pruritu. Stranguria accedit quoque, sed raro. Sic enim Hippocrates Medicorum facile

S DISPUTATIO MEDICA

princeps sect. 5. aph. 58. ait: *Recto intestino inflammato, & renibus suppurratis urinæ stolidum supervenit.* nonnunquam etiam prolabitur intestinum rectum & fit procidentia ani. Zylvius in præc. med. lib. 1. cap. 14. par. 8. dicit, quando in crassi intestini parte postremâ, recti nomine notâ, rodens, atque ad perpetuo desidendum irritans dolor excitatur, diciur *Tenesmus*. Signa causarum discernuntur ex iis, quæ excernuntur, & ex affectibus conjunctis.

VIII.

Quod ad prognosin spectat, illam duce ratione, & comite experientiâ optime elicimus ex Aurelio Cornelio Celsô lib. 4. cap. 19. pag. 227. ubi in hæc verba erumpit: *Id malum* (loquens de *Tenesmo*) *neque acutis, neque longis annumerari debet, cum facile tollatur, neque unquam per se jugulet.* Potest etiam hoc malum neglectum, reddi longæ durationis, & molestiæ, ut recte annotatum est à Galeno lib. 6. de *nsu partium* cap. 4. quare istas ob rationes illud malum inter morbos ventris gravissimos numerat; hâc quoque ratione sordidum ulcus reddi, atque fistulam induci posse concipimus. Abortum causando, mediate mortem inferre potest, sic enim Hippocrates Sect. 7. aph. 27. mulieri in utero gerenti *Tenesmus superveniens* abortire facit. Sydenham Sect. 4. cap. 3. pag. 158. dicit. *Tenesmus* post dysenteriam adultis, maxime grandeviis haud raro exitialis, infantibus nihilominus perbenignus reperitur, qui ad menses aliquot ab eodem quandoque afficiuntur, sine quovis incommodo, modo res natura permittatur.

IX.

Jamque omnibus causis, signis tam diagnosticis, quam prognosticis ritè trutinatis, nihil supereft, quam ut vela contrahamus, ægrum levemus, & ad curam nos accingamus, quæ variat, pro variis causis, à quibus *Tenesmus* oritur: quoniam enim hic affectus dysenteriam ut plurimum comitetur, licet quandoque præcedat, aliquando sequatur, ideo curatio eadem est cum dysenteriâ, de quo morbo (ut pote extra scopum) nihil omnino dicam, sed consulantur de hoc affectu Platerus, Sennertus, Zylvius, Willisius, Sydenham & alii, etenim nemo dubitet, *Tenesmum* saepius ex dysenteriâ oriri, id enim per experientiam multis authoribus notum est. Si dysenteria in longum trabatur (verba sunt Thomæ Sydenhami in Sect. 4. cap. 3. fol. 158. & ex illo allata à commentatore in Paulum Barbette. pag. 187,) tandem intestina ordine queque suo deorsum versus affici videntur, donec in rectum intestinum malum omne detrundatur.

datur, & in Tenesmum definat, quo facto, longe secus ac in dysenteriis, dejectiones stercorosa vehementissimum intestinis dolorem inferunt, alvi scilicet fæcibus teneriora adhuc intestina inter descendendum, radentibus, cum dejectiones mucosæ eo tempore, inferiori tantum intestino, recto nempe, molestius creant, quo materia in eo solo conficitur, atque inde excernitur.

X.

Si Tenesmus oriatur ab induratis fæcibus, enemat humectantia, & emollientia conducunt ex aquâ hordei cum saccharo, & vitello ovi, quod si vero adeo dura fuerint excrements, ut fistulam clysteris non admittant, tunc ex iisdem parandum est balneum, in quo æger tam diu sedere debet, donec fæces emollescant: Dodonæus pag. 446, & si tunc fæces non expurgentur sponte, tum aut enema ut prius, injiciendum, aut leve aliquod medicamentum propinandum, quo cum consentit Forestus lib. 22. obs. 42. In hoc casu præcipuè oportet cavere, ne alia præter clysterem lenitivum adhibeantur, purgantia medicamenta non sunt propinanda, ante stercoris eductionem, cum inde ægro maximum vitium immineret, affluentibus nimirum aliunde ex universo corpore ad priorem stercorum copiam, excrementis: ideo nunquam per os dabimus solutivum, nisi prius noverimus fæces moliores esse redditas, quod indocto, & imperito medico aliquando accidit, cuius historiam narrat Guainerius, hisce verbis. *Humores ad stomachum rapti sunt, & vomitus violentio educti, & pauperculum infirmum sapius ad syncopen deduxerunt, frigido sudore superveniente, & tandem in miseram mortem.* Sed fomenta calida & lenia sunt adhibenda ex: gr: *ex furfure. flor. chamil. melilot.* &c. Pro inunctione non satis laudari potest unguentum ex butyro insulso cum *alcalob*, id est cum Spiritu vini ad summam subtilitatem rectificato, lapidis scissilis (quos Belgice *Leijen* vocamus.)

X I.

Si vero proficiscatur ex Colico dolore, sequens Clyster post papaveris, & hyosciami usum injiciatur, quo miro modo levantur æ gri, ut notat Dolæus pag. 324.

R. *Lactis bubuli in quo lapilli, marini, rotundi albi.* (q*i*
circum littora maris inveniuntur) *sapius igniti, & extincti*
fuerint $\frac{3}{4}$ *vij.*

Succi plantaginis $\frac{3}{4}$ *vij.*

Vitell. ovor. no. 2. in lacte semel ebullitorum

M. F. Clyster tepide injiciendus.

8 DISPUTATIO MEDICA

Hartmannus laudat *Clysterem ex jure vervecino, & oleo cera 3j.* Prodest quoque suffimentum ex radicibus, & herbis verbasci, cum therebintinâ venetiâ, ex quibus fiant trochisci. Item Scobes ligni quercini (Belgice *Kun van Echten-hout*) & Balsanum Sulphuris, nec non fumus exceptus ex latere veteri, fumo denigrato (Belgice *oude Steenen uit de schoozsteen*) cum aceto ferventi, ut scribit Forestus *obs. 40.*

X I I.

Si originem habeat Tenesmus à nimia refrigeratione, optimum remedium eit brodium ex cerevisia nostra partibus quatuor, & gedanensis unâ, cum quantitate sacchari. Forestus *obs. 41.* notat de monacho ex aëre frigido Tenesmum patiente, cum dysuriâ, qui reliquis præmissis, miraculi instar curatus est, decocto diuretico emolliente, ex malvâ, parietariâ, buglossâ, violâ, boragine, agrimonâ, capill. veneris, rad. fœniculi, apii, petroselini, glycyrrhise rasa, semine anisi, althea, majorane, granatis, alkeng, prunis damascenis ex aquâ decotis, addito melle rosato ad 3ij; & parum sacchari, Hartmannus intus exhibit oleum mastichis ad guttas aliquot, cum aquâ menthae, plantaginis, vel puliegii.

X I I I.

Majoris emolumenti sunt *Verbasum in lacte dulci coctum, & spongia in illo madefacta* anno applicata. Fomenta, suffimigia, infessus, inunctiones, illitiones, facculus ex: gr.

R. Mastichis 3j.

Thuris 3j.

Sem. Myrtillorum 3iij.

Flor. Ros. Rusbr. sicc. 3ij.

*F. Pulvis, pro suffimigio, fumum post secessum in sellâ perforatâ carbonibus ignitis, injecto pulvere, in anum recipiat, & à Tenesmo molestissimo æger liberabitur. Teste Petro Foresto *obs. 39. lib. 22.* Fomentum hoc modo paretur*

R. Summitat. anethi.

Tapſi Barbatii.

Flor. Chamomill.

Melilot. an. Mj.

Baccarum Myrti.

Flor. Rosarum an. Pug. 1.

Sem. lini.

Fenugraci an. 3ij.

Sac.

I N A U G U R A L I S.

Sacculus conficiatur ex *furfure*, in *vino adstringenti decocto*, & admovetur anno.

X I V.

Si à calculo vesicæ procedat Tenesmus, curabitur extracto per litotiam calcu-
miam calculo: si à partium vicinarum affectibus, per consensum excitetur
Tenesmus, iis sublatis, & ipse tollitur. Cl. Sennertus. lib. 3. part. 2. sect. 2.
cap. 13. fol. 416. Speciatim in Tenesmo, à quâ causâ etiam originem habeat,
respiendum ad materiae viscidæ abstersionem, acris, & acidi correctio-
nem, & doloris temperationem; aërem habeat æger, si possibile sit, tem-
peratum, cibum ex jure carnium, gallinarum, cum pane tosto, & bene
fermentato, oryzaeam pultem, vitet pingua, salta, & omnes fere fru-
ctus horarios cane pejus, & angue; potus sit cerevisia tenuis, vel aqua
hordei chalybeata, vinum rubrum adstringens, conciliet sibi somnum,
quovis modo, in quem finem, si ipse ad somnum proclivis non sit,
utatur laudanio opio gr. 2. vel 3., animi affectus tristes exulent, & in
Indiam, vel Pontum cum *Ovidio* ablegentur.

X V.

Coronidis loco hic addam methodum, quâ ipsem in Tenesmo tractatus,
& tandem curatus sum. Anno supra millesimum sexcentesimo septuagesimo
quarto, in India Orientali vitam degens, incidebam in Tenesmo, nescio an è
subitâ, & nimiâ refrigeratione, tempore æstivo, aut à nimio usu fructuum
horariorum, cum illo morbo, per varios casus conflictatus & luctatus
sum, ferme per septem integros annos, sine ullâ spe unquam recuperandæ
sanitatis, totus emaciabar, sic ut pellis vix ossa tegeret, tandem adju-
vante Deo, post frustra usurpata millena remedia, purgationes, inunctio-
nes, suffimigia, infissiones, pristinæ, & tali, quâ hodie fruor, sanita-
ti restitutus sum, consilio cuiusdam matronæ (beatæ memorie) sequenti
remedio

Rx. *Sem. cumin. tosti pulverisati*

Sacchari albi a. partes aquales.

hunc pulverem sumpsi bis de die mane, & vesperi in cochleari.

Clyster quotidie bis vel ter injiciebatur, ex latte dulci, ovis, & therebin-
tinâ venerâ, saepè ex solo latte dulci. Per tres vel quatuor menses utebar
quotidie gr. 2. vel 3. landani opiat, in aquâ plantaginis, petroselini, ci-
namomi, vel simili. Cibus erat, pulli ovo nunc nunc exclusi, assati;
sine butyro, item cocti cum oryzâ, absque butyro & sale, lac arte coa-
gulatum, (quod nos Belgice *Zaan* vocamus) cum oryzâ, jusculum


B

gal-

gallorum veterum, bene contusorum, & per sex horas, in phiala concoctorum, potus aqua puteana, cocta, & chalybeata, vinum tint dictum, vel rubellum adstringens, & hisce remedii tandem convalui.

L. D. T. O. M.

F. I. N. I. S.



C O.

COROLLARIA.

TRAVALI HAVARIA. I. D. D. M. H. E. L. I. C.

Sanitas est remotus medicina finis.

II.

Conceptio fatus non sit in utero, sed in ovario.

III.

Lac generatur ex chylo.

IV.

*In plethorâ perinde est, in quâ corporis parte
vena fecetur.*

V.

*In dysenteria, qua dysenteria, non convenit
vene sectio.*

U. N. C. S. C. S. A. S. H. R. O. N. K.
M. O. N. T. A. N. S. L. U. D.

B 2

E P R

AIEPIAPHONE MA

Doctissimo, & Expertissimo

D. DANIELI HAVART,

Cum summa cum laude MORE MAJORUM
Medicinæ Doctoratum auspicaretur.



Ost varios casus, post multa pericula ponti
In portus venit vestra carina suos
Quid non vidisti, quod te meminisse juvabit?
Quid non audisti, quod meminisse juvat?
PYTHIUS ARCITENENS, te nunc sibi jactat
alumnum,

Te GALENUS amat, teque MACHAON amat.
Mors fugiat procul hinc, & vos procul ite maligni
Morbi, vosque graves vos procul este febres,
Dejice mors falcem, truculentam desere messem,

HAVARTUS vobis tristia bella parat.

Portendo, magnos dabit huic Medicina triumphos
Si quo, nunc cœpit, hoc pede semper eat.
Si (quod non dubito) praxis respondeat arti,
Quam didicit, sique hic congruat ipse sibi.

Mænia, quæ poterunt te nunc assumere ciyem,
Præ reliquis cunctis, faustaque semper erunt,
Jam fugient procul hinc, morbusque & pallida febris,
Heic figet regnum dulcis, & alma salus.

Amicitiae ergo posuit

FRANCISCUS VAN BERGEN,
dictus MONTANUS, J.U.D.

EPL

HONORI
Præstantissimi, Doctissimi, Expertissimique
D. DANIELIS HAVART

Cum Medicinæ Doctor, solenniter & MORE MAJORUM
In illustri Academia ULTRAJECTINA
Renuntiaretur.



ULTRAJECTINAM fœlicem gratulor Urbem ;
Et vos Musarum Templa dicata sacris.
Ecce ! sub Astrifero cum Divis ordine PALLAS
Descendit longa, pandite læta fores !
Dicite Io, Juvenes, & Io bis dicite, Cani
Intrant AONII turba novena chori !

Insequitur PHOEBUS, Phœbum BELLONA triumphans;

Quid numero ? vacuis alta querela Polis :

Grande aliquid ducunt ! secum sua quodque triumpho

Congrua Numen habet ! Victor in Urbe latet :

Post varios casus, post tot discrimina, fractum

Post aliis dominum, Victor HAVARTE, tibi,

Inlyta divinas meruit Victoria laudes,

Ut cœlum insolito deseruere Dii ;

Flectere sic Superos, Victor, tua dicta valebant,

Sic rapuere Deos Scripta subacta tui.

Sic quoque Terricolæ nunquam tua facta filebunt ;

Immemor HAVARTI nullus in Orbe locus.

INDIA naturæ quæfentem condita novit,

Egregias dotes vidit uterque Polus ;

Sicque susurravit dudum tua fama per Orbem,

Altius ast Superi nunc resonare docent !

Accipe digna tuis, gratas agnosce Camænas,

Serta tibi nectunt, & meliora parant.

Felix TRAJECTUM ! crescit tua gloria tandem !

Huic tua nulla parem lustra tulere diem :

Candida semper erit, plaudant Juvenesque, Senesque,

Talibus & celebrent auspiciis celebrem.

Jussit Amor carmen, jussitque Modestia Nomen
Abdere, Amice, vale ; sit cœlinisse satis,

Aan mijn HEER
DANIEL HAVART,

Toen zijn Ed. in het openbaar van de PERSsing
redenkavelde, en bequaam geoordeeld wierd,
om tot DOCTOR MEDICINÆ
gepromoveerd te worden.

NON OMNIS MORIAR.



Oom hier die wijsheyd wild vergaren,
Aanschouw hem, die daar staat op stoel.
't Zal u meer voordeel kunnen baren,
Als 't sien van 's werelds dom gewoel.
Hy heeft de Perssing wel beschreven,
't Welk hier seer selden is geschied,
Om dat die quaal hem in zijn leven
Heeft pijn veroorsaakt, en verdriet.
Wie kan zijn reden wederleggen
En nemen van hem weg den lof,
In 't gene dat hy heeft te seggen,
Of stoten zijnen roem in 't stof.
Groeyt H A V A R T, in de wetenschappen
En in de Heel-konst meer, en meer,
Beklauter al de wijsheyds trappen,
Soo sal ook meerderen uw eer.
Breng nu dog altegaar Laurieren
Want hy op 't hoogst is roemens waart,
Om daar sijn hoofd mee te vercieren
Soo lang hy hier is op der aard.
Geef raad, om yder te genesen,
Die tot u komt, of komen sal.
Soo fullen wy u dankbaar wesen,
Uw naam verspreyden over al.

Avunculo suo posuit.

S. C.

TER EERE
Van mijn HEER
DANIEL HAVART,

*Als zijn Et na openlijke twistreden over de
PERSING, publik tot Doctor in de
Medicyne gepromoveerd wierd.*

SIC ITUR AD ASTRA.



Oe lieflijk wekt *Apol* zijn schrand're *Zang-Godinnen*,
Tot luit en snaar-gezang : hoe wet elk brein
en finnen,
Om , met de braafste schagt , de onsterfelijke
lof

Van HAVARTS vlugge geest in goud te malen of.
Hy , die in sijne jeugd langs de *Indiaanse* stranden
Heeft gins en weer gekruist , wiens iver altoos brande
Om daar dier volk'ren *aard* , *gewoonte* , *zede* en *taal*
Tot 't binnest in te sien ; *Hy* , die met so veel praal
En lof op *Cormandel* 't *g'heym-schrijvers* ampt bekledes ;
Die 't Hof van *Golconda* meer , als oit een , betrede ;
Die my een *boesem* vriend verstrekte in dat *gewest* ,
En door getrouwe raad droeg forge voor mijn best ;
Die daar ter plaatse leed de onlijdelijkste smarten
Van's PERSINGS bitt're ween , komt selfs die *quaal* nu tarten
Door sijn doorploegd vernuft , en wijst als 't Son-ligt aan
De *welbron* deser siekte , en waar s'ons komt van daan ;
Haar *toeval* , en wat tot *genesings* grond kan strekken ,
Weet by wiskundig hier voor elks gesigt te ontdekken .

Door

Doorwrogte DANIEL , wat onwaardeerlyk nut
Deeld gy t'hans 't menschdom me; wat sult g'een stale stut,
Een kop're rots en zuil de ellendige verstreken;
Hoe sult gy de *iver* van uw *amptgenoots* opwekken,
Wanneer de vlugge *faam* door *Oost , West , Suid en Noort*,
In weerwil van de *nijd* , uw *lof sal* brallen voort.
Lief dan , tot dat uw *deugd* en *konst* al-om geblonken,
't Nakoomlingschap uw *naam* mag sien in *marmor* pronken.

G. BENOORDEN.

